



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellaneorum Observationum Libri quatuor**

**Petit, Pierre**

**Trajecti ad Rhenum, 1682**

Cap. XIII. Locus Aristotelis ex historiis animalium de costarum numero, &  
Lygniis vulgo male acceptus emendatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13245**

Φρίκη δερμότεροι καὶ μαλακώτεροι τῷ δέοντι γένωνται ἡμῖν.  
 Ad verbum: *Nos vero timemus pro custodibus, ne ex ejusmodi horrore calidiores & molliores quam par est, nobis reddantur.* Quid calidiores? Itane caloris magnitudo fortitudini obstat? Nihil minus: sed humiditas potius, quæ calorem obtundit, & caloris inopiam fere sequitur. Ex his & quendam Galeni locum in lib. *quod Animi mores sequantur temperamentum corporis*, explicare licet. In quo scilicet dicit Hippocratis, non medicinæ parentis, sed alterius filios olim fatuitatis nomine a Comicis irrisos διὰ τὴν ἀμετρον θερμὴν, ob immodicum calorem, ut vulgo interpretantur: ego vero θερμὴν eo loco humiditatem significare ajo; quæ ubi modum in temperamento excedit, amentes homines & fatuos reddit: ut diserte ibi Galenus pronuntiat. Postremo Hesychius, Grammaticorum doctissimus, ψύχειν, exponit ἀνεμῶ ἐξηραίνειν.

## CAPUT XIII.

*Locus Aristotelis ex historiis animalium de costarum numero, & Lygniis vulgo male acceptis emendatur.*

**I**N primo *historiarum* cap. 15. de artubus corporis humani, & membris quæ sunt in conspectu tradens, hæc de costis habet: Κοινὸν δὲ τῷ ἄνθρωπῳ καὶ κατὰ πλεονεξίαν ἐπιπέρωθεν ὀκτώ. καὶ γὰρ Λυγίων τῶν καλεσμένων ἐπὶ ἀπολόερον ἕθνος πρὸ ἀξιοπίστον ἀκηχάμω i. *Communes autem partis superioris inferiorisque costæ utrinque octonæ. Nam de hominibus gentis Turdulorum, quos septenis costis ferunt creari, nullius idonei auctoris testimonio constat.* Ita vertit Theodorus Gaza: & quos Aristoteles

M

teles

*teles* Λυγνίης vocat, *Turdulos* reddit, & gentem esse dicit, quid secutus, nescio: ut enim ait *Scaliger* in *commentario* ad hunc locum, neque cum turdo quicquam est *Lygnio* commercii. *Plinius* quidem neque *Lygniorum*, ubi de costis agit, facit mentionem; aut cum de *Turdulis* populis in tertio bis: in quarto etiam bis tradat, costarum meminit. Sed nec *Strabo*, *Celius* lib. 2. *Antiquarum Lect.* non *Lygnios*, sed *Ligures* legit ex *Pollace* scilicet, cujus hæc verba sunt: Διγύς ἐπὶ ἅπασιν ἢ ἐστὶν ἢ καλεῖται. Omnes, quod miror, ex hoc loco Λυγνίης ἐπὶ ἅπασιν legunt, & exscribunt, atque etiam *Mercurialis* lib. 2. *Variar. Lectio- num* cap. 10. neque porro *Hofmannus* aliter lib. 1. de *Thrace* cap. 2. nisi quod vidit esse mendum in his: Πενταπλευροὶ ὀκτώ. recte enim ἐπὶ ἅπασιν legendum censet, verum non minus mirum de tali viro, eadem opera non vidisse mendose de *Lygniis* scriptam esse ἐπὶ ἅπασιν. Tum vitiosam lectionem explicare aggressus *Septilateres* (ita enim Græcam dictionem, ἐπὶ ἅπασιν, vertit) dictos a corporis robore interpretatur. *Ligures*, inquit *Cicero*, montani, duri atque agrestes. tanquam Διγύα: scripserit *Aristoteles*. Atqui si septem utrinque homini costæ, ut volumus scripserit *Aristotelem*, utque ipse emendat *Hofmannus*: & *Lygnii* isti item ἐπὶ ἅπασιν, quid in eo mirum est, ut propterea *Aristoteles* fidem eorum, qui huic genti septem costas tribuerent, suspectam haberet? Non ergo *Lygnii*, quæcumque ea gens censeretur debeat; ἐπὶ ἅπασιν, sed ὀκτώπλευροι. Et ita legendum eo loco *Aristotelis*, nullus dubito. Est enim transpositio numerorum: ὀκτώ, pro ἐπὶ ἅπασιν: & ἐπὶ ἅπασιν, pro ὀκτώ: in voce ἐπὶ ἅπασιν: vera enim lectio est, τῶν καλεσμένων ὀκτώπλευρων.